abesse potest, qui semper in patre est, cum patre semper est. Denique ipse di
xisti: Si descendero in infernum, tu ades; si sumpsero pennas me
as ante lucem, et habitavero in extremo maris, etenim illuc manus tua
deducet me. Aut quomodo ascendens abesse potest, qui ubique semper est? De
scendisti quidem filius hominis, nec pater cum descenderas abfuisti; sed de
scendisti nobis, ut te oculis ac mentibus videremus, ut in te crederemus.
Ergo et ascende nobis, ut te sequamur mentibus, quem oculis videre non possu
mus. Ascendisti apostolis, quibus dixisti: Qui me videt, videt et patrem. Denique
Iohannes ubi te quaereret sciuit: apud patrem quaesivit, et repperit, et vido
at, et verbum erat apud deum. Ascendisti et Paulo, qui non contentus solus te
sequi, nos quoque docuit quemadmodum te sequamur, et ubi te reperire
possimus, dicens: Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est
ad dexteram dei sedens. Et ne oculorum magis hoc quam animorum putare
mus officium, addidit: Quae sursum sunt sapite, et non quae super terram. Ergo non
super terram nec in terra, nec secundum carnem te quaerere debemus, si volumus
invenire. Nunc enim secundum carnem iam non novimus Christum. Denique Stephanus
non super terram quaesivit, qui stantem te ad dexteram dei vidit. Maria autem quae
quaerebat in terra, tangere non potuit. Stephanus tetigit, quia quaesivit in
caelo. Stephanus inter Iudaeos vidit absentem, Maria inter angelos non vi
dit praesentem. Sed quare non potuerit illa tangere, evangelista ipse nos
docuit dicens: quia cum te videret nesciebat quia tu es. Sic enim habes:
,, Conversa est retrorsum et vidit Iesum stantem, et nesciebat quia Iesus est.
Merito tangere non potuit, quae videre non poterat. Nam qui videt
tangit. Itaque quid intersit inter illam et hanc Mariam, scriptura distin
guit. Illa occurrit ut Iesum videat, haec retrorsum convertitur. Il
la salutatur, haec redarguitur. Denique sic habes: Dicit ei Iesus: Mulier.
,, Mulier quae non credit mulier est, et adhuc corporei sexus appellatione
signatur. Nam quae credit occurrit in virum perfectum, in mensuram
aetatis plenitudinis Christi, carens iam nomine saeculi, corporis sexu,
,, lubrico iuventutis, multiloquio senectutis. Dicit ergo Iesus: Muli